



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput VI. De Virtutibus et Vitiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

CAPUT VI.

De Virtutibus et Vitiis.

Postquam scientia moralis consideravit bonum & malum, finem ac felicitatem hominis: postquam deinde principia moralitatis, tam intrinseca quam extrinseca expendit, de ipsis agit virtutibus, ad quas regulæ morum dirigunt, & quibus finis noster obtinetur, nec omittit vitia opposita, ut magis elucescat virtus. Virtus autem moralis ita definiri solet: habitus inclinans hominem ad bene, honesteque vivendum: unde vitium, quod virtuti opponitur, est habitus inclinans hominem ad malum.

Porro discrimen illud intercedit inter virtutem theologicam & moralem, inquit Doctor Angelicus, quod virtutis theologice objectum formale motivum sit immediate ipse finis ultimus, scilicet Deus, ut patet in Fide, Spe, & Charitate; nam ipsa Veritas, Fidelitas, & Bonitas infinita Dei nos movet ad credendum, sperandum, amandum: Objectum vero formale virtutis moralis sit aliquid conducens ad ultimum finem, seu aliqua honestas creata, quâ movemur ad bene operandum. Sic honestas, quæ reperitur in tribuendo cuique jure suo, me movet ad actus justitiæ exercendos. Virtutes morales possunt esse supernaturales & infusæ, vel naturales & acquisitæ; & de his potissimum hic agimus, quamvis, quæ dicturi sumus, magna ex parte ad supernaturales quoque transferri possint. Virtutem acquisitam natura inchoat, doctrina & usus perficiunt, sit patet ex his, quæ de habitibus dicta sunt.

Plurimæ sunt virtutes morales, quæ tamen ad quatuor principes reduci possunt, videlicet Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, quæ cardinales dictæ sunt, seu supremæ ac præcipuæ, & quasi cardines honestatis ac bonitatis moralis humanæ vitæ; de quibus disertè Cicero: *Omne, inquit, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiæque versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique & rerum contractarum fidei; aut in animi excelsi, atque invicti magnitudine, ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur ordine & modo, in quo inest modestia & temperantia.* Lib. 1. offic. Ratio hujus quadripartitæ divisionis est, quia ut homo honeste, probeque vivat, est necesse, ut cognoscat, quid factu optimum sit in ordine ad finem suum obtinendum; & illud est Prudentiæ munus. Deinde cum civilem politicamque ducat vitam, humanæ societati debet plurimum; unde quæ sunt ejus partes officii docet Justitia, quæ suum tribuit cuique. Verum, quia multa occurrunt ardua, quæ nos ab officio retrahunt, Fortitudinis opus est. Tandem, cum virtutis sit, & voluptates & dolores moderari, id præstat Temperantia.



§. I.

Prudentia.

Morales inter virtutes meritò principem locum tenet prudentia; tum quia intellectualis est, tum quia virtutes ceteras moderatur & regit. Unde S. Greg. docet, alias virtutes, nisi, quæ agunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam posse. Et Plato agebat, illas sine hujus præsidio esse quasi Dædali statuas, solutas, fugaces, instabiles. Prudentiam definit Aristoteles: *Habitus vera cum ratione activus in iis, quæ homini sunt bona vel mala moraliter.* Id est, habitus, quo non tantum, quid agendum sit, & à quo abstinendum novimus; sed etiam, quo agimus, quod agendum est, & abstinemus, à quo abstinendum. Agere autem & efficere apud eundem Arist. sic distinguuntur, ut agere ad prudentiam, facere ad artem pertineat; in actione quippe agentis intentio, in effectione verò industria consideratur. In allata definitione per vocem *vera* veritas practica intelligenda est; hinc prudentis est, media ad finem apta seligere, & habita ratione loci ac temporis, omnibusque circumstantiis ritè perpensis, quid hinc & nunc opus factio sit, rectè judicare.

Actus prudentiæ sunt tres præcipui. Primus est bona consultatio, cum scilicet media ad finem utilia investigantur & excutuntur. Secundus est recta intelligentia, quâ intelligitur, quanam ex iis ad finem assequendum magis idonea sint. Tertius est imperium, quo, quæ judicata sunt, executioni mandantur: & hic est etiam actus rationis dirigentis, moventisque voluntatem ad executionem.

Partes prudentiæ integrales sunt certæ animi dotes, quibus prudentiæ actus facilius exercentur; seu quædam actiones ad perfectum prudentiæ usum requisitæ. Ad prudentiam siquidem pertinet præteritorum memoria, intelligentia præsentium, & providentia futurorum, docilitas ad discendum ab expertis, solertia ad rectè & promptè excogitandum, quid hinc & nunc factio sit opus; ratio seu recta ratiocinandi vis, circumspectio in circumstantiis, cautio tandem in removendis impedimentis; unde partes integrales prudentiæ octo à S. Thoma numeratæ sunt, memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio & cautio.

Partes prudentiæ subjektivæ præcipuæ sunt quinque, ita dictæ, quod velut species illi subijciuntur: nempe Monastica seu Personalis, quâ quisque in suis actionibus ritè obeundis seipsum dirigit: Oeconomica, quæ circa bonum familiæ regimen versatur: Regalis in Principe ad subditos sapienter regendos; in ipsis verò subditis Politica, quâ prudenter se gerunt Principi in obtemperando: quæ militum decet Ducem, Militaris dicitur. Primam ex his, seu personalem, præcipuam prudentiæ speciem esse, docet Aristoteles, unde & eam simpliciter prudentiam appellat.

Contra prudentiam duobus peccatur modis, per defectum nempe & per excessum. Prudentiæ per excessum opponuntur 1. Prudentia carnis, quæ in implendis naturæ corruptæ desideriis studiosius versatur. 2. Nimia bonorum temporalium sollicitudo, quæ ex immoderato habendi amore, vel amittendi timore exoritur. 3. Astutia seu calliditas, aut versutia, quæ dicitur excogitatio mediorum seu rationum perversarum ad obtinendum finem, maximeque

mèque ad alios decipiendos conducentium. Quando astutia in dictis tantum versatur, à quibusdam dolus dicitur: si factis se prodat, fraudis nomen habet; quanquam fraus & dolus promiscuè sæpius usurpentur.

Per defectum, prudentiæ adversatur imprudentia, quæ sæpius ex ignorantia profluit, eaque generatim dici potest prudentiæ carentia, nec una est specie, sed multiplex: nempe præcipitatio, inconsideratio, inconstantia & negligentia. Præcipitatio dicitur vitium, quo quis opus aliquod citra sufficientem deliberationem aggreditur, & opponitur bonæ consultationi. Inconsideratio vitium est, quo citra debitam attentionem de mediis fertur iudicium, & ea opponitur bonæ intelligentiæ, seu potius bono iudicio. Inconstantia est sententiæ mutatio ob nullam, levemve causam, quæ contra gnomen pugnat, ut Græci dicunt. Negligentia denique est ommissio diligentiæ in rei constitutæ urgenda executione: nam uti, priusquam incipias, consulte, sic ubi consulueris, maturè factò opus est, inquit Salustius.

§. II.

Justitia.

Inter reliquas morales præcipuum obtinet locum Virtus justitiæ, tum ratione subjecti, tum ratione objecti; quia cum reliquæ virtutes morales appetitui sensitivo inhæreant, ut ejus perturbationes moderentur & cohibeant, ipsa, ut ait Arist. insidet in appetitu rationali. Ratione objecti verò, quia aliæ virtutes morales versantur per se duntaxat, & ex proprio instituto circa bonum ejus, in quo sunt; at secundum justitiam habet se quisque bene etiam erga alios, æqualitatem eis præstans; unde ab Arist. *Justitia bonum alterius dicitur*. Porro justitia latiore significatu, in sacris præsertim Litteris, virtutes omnes complectitur, & ita Vir justus, idem est, ac Vir omnium virtutum dotibus instructus: hoc tamen loco sumitur pro speciali virtute, quæ hominem perficit in iis, quæ, tum in hominum societate tuenda, tum in tribuendo cuique suum, requiruntur. Unde communiter definitur à Juristis: *Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*: tribuendi nempe, quod justum & rectum est, & cuique stricta obligatione debitum; ubi juris nomine propriè intelligitur æqualitas illa, quæ justitiæ propria est, & quæ est illius mediocritas inter plus & minus constituta; unde & fortasse nomen æquitatis deductum est.

Partes justitiæ integrantes, si generatim loquamur, sunt duæ, ut tradit S. Thom. nempe facere bonum, & declinare à malo: ubi tamen bonum & malum non in ea amplitudine sumi debent, quâ omnibus competunt virtutibus; nam virtutes omnes id commune habent, ut bonum amplectantur, & malum effugiant: sed eo pacto sunt accipiendæ, ut bonum idem sit, ac alteri debitum; malum verò idem, quod alteri noxium. Itaque facere bonum, ut est pars justitiæ, est æqualitatem servare in iis, quæ ad alterum spectant: declinare à malo est æqualitatem non corrumpere.

Partes subjectivæ seu species justitiæ sunt tres, nempe justitia Legalis, commutativa, & distributiva, juxta respectum triplicem, quem homines in communitate constituti inter se habent, videlicet partis ad totum, partis ad partem, totius ad partem. Justitia legalis, quæ & generalis dicitur, ordinat partem ad totum, quatenus facit, ut, qui membrum communitatis est, pa-

ratus sit ad omnia exequenda & sustinenda, quæ ad bonum commune spectant; unde illa dicitur, quæ quis iuste se habet circa bonum commune. Iustitia commutativa partem ad partem ordinat; unde dicitur illa, quæ quisque rectè se habet in commutationibus, suum cuique reddendo secundum proportionem arithmeticam; ad hanc pertinent contractus, vadimonia, locationes, restitutiones &c. Iustitia distributiva ordinat totum ad partem, quatenus facit, ut communitas onera & præmia distribuat inter eos, qui constituunt communitatem; unde Distributiva duplex est, remunerativa una, punitiva altera: prior est, quæ jubet honores, magistratus, munera & beneficia, aliæque id genus pro cuiusque dignitate & meritis secundum geometricam proportionem dispensare: posterior est, quæ nocentes similiter, ut par est, supplicii affici jubet.

Ad iustitiam commutativam pertinent omnia pacta, conventiones, & contractus, cum nempe datur duorum vel plurium consensus in idem placitum, mutuam obligationem pariens, signis externis expressus. Alii contractus dicuntur innominati, quales sunt, *do, ut des: facio, ut facias: do, ut facias: facio, ut des*: Alii nominati, qui numerantur plurimi, ut emptio, venditio, locatio, conductio, transactio &c. Sunt præterea alii actus iustitiæ commutativæ, ut usufructus, quo quis dicitur habere jus utendi rebus alienis simul & fruendi, salva earum substantiâ: Nudus usus, quo quis habet jus utendi ut prius rebus alienis, non tamen fruendi: Emphyteusis, cum quis rei suæ immobilis dominium utile transfert in alium, retento sibi dominio directo, cum jure pensionis realis annuæ; qui accipit dominium, dicitur Emphiteuta; qui dat, dicitur Dominus directus seu proprietarius: Feudum, seu concessio rei immobilis sub onere fidelitatis & obsequii personalis exhibendi Domino directo: Negotiatio, Cambium, Societas &c.

Similiter ultima voluntas de eo, quod quis post mortem fieri vult, cuius quinque sunt species, nempe testamentum, quod est iusta nostræ voluntatis sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directâ hæredis institutione: Substitutio, quæ est vocatio unius hæredis in locum alterius: Exhæredatio, cum hæres necessarius nominatim positivè ex iusta causâ in testamento expressa, privatur hæreditate alioquin sibi debita: Codicillus seu sequela, & velut supplementum testamenti, quo aliquid circa testamentum explicatur, additur vel mutatur. Legatum, seu donatio in testamento, quam defunctus præstandam relinquit ab hærede, de eo, quod foret hæredis. His addi potest Fidei-commissum, quod fidei hæredis à testatore committitur alteri dandum: Donatio mortis causâ, seu in eventum mortis, ante quam semper revocari potest; hinc dicitur ambulatoria; extinguitur morte Donatarii. Uno verbo, ad iustitiam commutativam pertinent omnes illi actus, quibus pars ad partem ordinatur, suum cuique tribuendo.

Partes iustitiæ potentiales sunt virtutes quædam iustitiæ maximè affines, quia etiam respiciunt alterum. Tales numerantur potissimum .i. Religio, per quam homines Deo, ut supremo Domino, cultum exhibent: religionis duo sunt actus interni, devotio & oratio; externi sunt sex, Adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, adjuratio, laus. Devotio est actus voluntatis paratæ ad præstanda ea, quæ ad Dei cultum & gloriam spectant. Oratio est petitio decentium à Deo. Adoratio, etsi in sensu latiore sumatur quandoque pro reverentia & honore, quem rei alicui exhibemus propter aliquam ejus sanctitatem ac dignitatem, ut Josue 5. ps. 98. ad Hebr. 11. si tamen sumatur

tur propriè juxta illud Christi: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, est actus, quo Deum pro supremo Ente agnoscimus, eique nos tanquam summo rerum omnium Domino subijcimus: hæc adoratio Latria vulgò appellatur, Divinæq; naturæ ita competit, ut nulli prorsus alteri conveniat. Sacrificium latè sumptum, quod varias species continet, est oblatio, qua Deo aliquid exterius offertur ad eum placandum, & ut ejus nos imperio subditos esse profiteamur. Votum est deliberata promissio de aliquo bono facta Deo. Juramentum est, quo Deum ut testem assumimus in alicujus rei confirmationem. Adjuratio est invocatio Divini nominis, qua quempiam deprecando, aut compellendo ad aliquid faciendum, aut non faciendum inducimus. Laus est assumptio Divini Nominis in vocali cantu.

2. Est pietas, qua parentes, patriam &c. colimus. 3. Observantia, qua dignitate, ætate & sapientiâ præstantibus honor, cultusque defertur. 4. Obedientia, quâ voluntas prompta & facilis redditur ad superioris præcepta implenda. 5. Veritas, qua quis verbis & factis talem se præstat, qualis est in se. 6. Gratitude, quâ iis, qui de nobis bene meriti sunt, gratiam non solum habemus & agimus, sed etiam, cum possumus, referimus. 7. Liberalitas, quâ quis dispensat pecunias in usus bonos, sibi, suisque, & aliis. 8. Affabilitas, quâ quis in communi hominum consuetudine & congressu mediocriter & uti decet, se habet, studetque, quatenus potest, omnibus benignè obsequi. 9. Amicitia, quâ aliqui mutuam, apertamque benevolentiam habent, & se invicem bonis affici volunt ad aliquod bonum, & non ob solam jucunditatem; hanc sic definit Cicero: *Est voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio.*

Ex his patet, quæ sint vitia justitiæ opposita, quæ uno injustitiæ nomine comprehenduntur; injustitia enim strictè accepta pro habitu, est inclinatio voluntatis non tribuendi cuique suum; & injuria dicitur, quod non jure fit, id est, inquit De Lugo, voluntaria læsio seu violatio juris alieni. Sicut autem justitiæ strictæ opponitur injustitia, sic etiam virtutes justitiæ affines sua habent vitia opposita v. g. gratitudini opponitur ingratitude, veritati mendacium, liberalitati avaritia & prodigalitas &c.

§. III.

Temperantia.

Temperantia est virtus, quæ in voluptatibus sensuum & doloribus moderandis posita est: ac potissimum voluptates, quæ gustu & tactu percipiuntur, moderatur; unde definitur ab Arist. *Mediocritas circa tactus, gustusque voluptates, & circa dolores.* Dicitur potissimum in gustu & tactu; nam quæ aliis sensibus percipiuntur voluptates, ut visu ex pictura, auditu ex musica, olfactu ex odoribus, secundariò tantum ad temperantiam referri videntur, nisi sint causa vel occasio intemperantiæ circa priores sensus. Hinc Arist. observat in Probl. intemperantiæ nomen illis tantum vitiis tribui solere, quæ nobis cum belluis sunt communia: belluæ autem visu, auditu, & olfactu parum delectantur, sed magis gustu & tactu. Hac de causâ homines, qui gustui & tactui plus æquo indulgent, tanquam belluæ vulgò habentur, qualis

fuit ille Philoxenus, quem ibidem notat Aristoteles, qui gravis collum sibi à natura concessum voluisset, quo diutius esculenta & poculenta sapere potuissent.


Partes integrales temperantiæ sunt duæ, nempe verecundia & honestas. Verecundia, inquit Arist. *Est metus quidam dedecoris & infamiae*, quo nimirum ad id, quod turpe & temperantiæ contrarium est, fugiendum inducimur: hanc si aliquando amittant iuvenes, facile in qualibet intemperantiæ vitia prolābuntur. Honestas autem est excellentia quædam honore digna ob spiritualem pulchritudinem, quā quis, quod decorum est, quærit, & indecorum repellit.

Species intemperantiæ sunt potissimum quatuor, nempe sobrietas, abstinencia, castitas & pudicitia: quarum duæ priores in voluptatibus, quæ cibo & potu capiuntur, mediocritatem constituunt; posteriores verò voluptates venereas coercerent. Sobrietas est, ne quantitate aut qualitate peccetur in cibo, potuque sumendis: Abstinencia verò mediocritatem in ciborum delectatione constituit, alii tamen abstinenciam referunt ad cibum, & sobrietatem ad porum. Castitas & Pudicitia impuros libidinis actus & affectus cohibent, eā differentiā, quod castitas coerceat, aut moderetur actus concupiscentiæ consummatos, pudicitia autem actus vel levissimos impediatur.

Partes temperantiæ potentiales sunt virtutes, quæ sub moderationis nomine comprehenduntur: moderatio autem circa tria versari potest. 1. Circa internos animi motus, exortos vel ex impetu passionis, & illos reprimunt continentia, præsertim in pravis cupiditatibus, quæ ex tactu oriuntur: vel ex nimia audacia, & eos coercet humilitas, quæ hominis cupiditatem cohibet, ne in res magnas atque excelsas immoderate tendat, sed potius ad infimas se deijciat: vel ex vindicta, & hos mansuetudo & clementia refrænatur; illa iram moderatur, ista externis punitionibus modum adhibet. His adde moderationem in doloribus, non impotenti, sed patienti & æquo animo perferendis.

2. Moderatio versatur circa motus externos corporis, & illos moderatur modestia, quæ in neglectu honoris, aut immeriti, aut affectati & meriti consistit; non enim ille solus modestus dicendus est, qui, cum parva mereatur, non multum sibi tribuit, ut ait Arist. sed etiam is, qui magna meritis, honorem tamen non exigit, imò illum vel oblatum vel præstitum refugit & recusat.

3. Tandem moderatio versari potest circa res externas, vel superflua non inquirendo; & ad hoc spectat parcitas, vel etiam ornatus, quæ virtus habitum corporis & vestitum moderatur: vel nimis exquisita non requirendo, & ad hoc spectat simplicitas, quæ nimia in hisce rebus inquirendis & concinnandis, ac in urbanioribus officiis præstandis sollicitudini modum ponit. His addi possunt Eutrapelia, quæ quis in ludis & jocis moderate, atque ut decet, se se habet: & misericordia, quæ alienæ miseriæ, quantum possumus, subvenimus.



§. IV.

Fortitudo.

Fortitudo dupliciter sumitur. 1. Prout importat quandam animi firmitatem & constantiam ad actiones honestas obeundas, qua ratione est communis conditio cujuslibet virtutis, quia, ut docet Arist. *Virtutis est firmiter & immobiler agere*: & juxta hanc usurpationem de fortitudine agit S. Gregorius. Alio modo accipitur fortitudo, prout designat firmitatem animi in suscipiendis periculis, laboribusque perferendis, quo modo est specialis virtus, de qua in presenti. Fortitudinem definit Arist. *Mediocratem circa metum & audaciam*: hoc est virtus, quæ in metu & audacia moderandis posita est. Unde intelliges fortitudinem residere in appetitu irascibili, quandoquidem metus & audacia ad istiusmodi appetitum pertinent.

Actus fortitudinis sunt duo, nempe aggredi & sustinere juxta rectam rationem; cum enim fortitudo circa metum & audaciam versetur, timorem reprimat, difficultatem sustinendo, & aggrediendo audaciam moderatur. Nam ut pulchrè Seneca: *Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec stultus periculorum amor*; neque etiam fortitudinem æstimare debemus ex viribus corporis, sed ex constantia & firmitate animi, atque ex fine honesto, in quo vera virtus eluceat. Unde Tullius dicit, quod *Fortitudo sit considerata periculorum susceptio, & laborum perpassio*. Ex his duobus actibus præstantior censetur perpassio, quam aggressio, quia magis arduum est timorem reprimere; quod fit sustinendo, quam audaciam refrænare aggrediendo: nam ipsum periculum, quod est objectum audaciæ & timoris, confert aliquid ad reprimendam audaciam, nihil tamen juvat ad cohibendum, imò potius juvat plurimum ad augendum timorem.

Partes fortitudinis integrantes sunt 1. Fiducia seu fidentia, cui affinis est securitas, quæ animus promptus ac paratus redditur ad difficilia, cum opus est, suscipienda aut toleranda: quod si res arduæ non vulgares sint, & actibus non vulgaribus adoriendæ aut perpetiendæ, circa eas occupari dicitur Magnanimitas: quod si homo splendide & amplo quodam animo in magnarum & excel-sarum rerum administratione occupetur, intervenit Magnificencia: si difficultas diutius duret, opus est Constantiâ: Perseverantia verò est stabilis ac perpetua permanens in rebus bene cœptis. Virtus autem, quæ in malis tolerandis animus obfirmatur & sustinetur, dicitur Patientia, cui jungitur Longanimitas, quæ quis res magnas, quæ procul absunt, sperat. S. Thomas censet, fortitudinem magis relucere in periculis repentinis, quam in prævisis, quia in repentinis necesse est, ut habitus fortitudinis sit magis confirmatus, cum nec detur deliberationi locus, nec ad repentina comparare se per tempus liceat.

Fortitudinē opponuntur vitia quadam per excessum, ut temeritas: alia per defectum, ut timor. Sic magnanimitati opponitur superbia, & pusillanimitas. Præsertim verò fortitudini opponitur illa animi impotentia, qua aliqui, vel levi injuria lacessiti, vel alio minori malo fracti, in desperationem adacti, & famam, & vitam, & subinde ipsam salutem æternam in apertum discrimen adducunt.

§. V.

De Morte alacriter expectanda, & Christiana fortitudine subeunda.

INter actus fortitudinis principem locum obtinet martyrium; nam fortitudinis est obfirmare animum in bono contra timorem: Martyr autem firmatur in bono Fidei ac Religionis contra timorem rei, si naturam spectes, omnium acerbissimæ, videlicet mortis: cujus fortitudinis egregium habemus exemplum in B. Laurentio, atque innumeris Christianæ Fidei heroibus aliis. Neque dicas, martyrium videri potius actum charitatis, quàm fortitudinis, juxta illud Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Resp. enim, quòd licet martyrium proveniat à charitate, tanquam à virtute imperante, progrediatur nihilominus à fortitudine, tanquam ab habitu & virtute, à qua immediatè elicitur: potest enim charitas alios virtutum actus imperare, qui propterea non desinunt esse illarum virtutum actus, à quibus immediatè eliciuntur; sicut actus subditi, sunt actus subditi, licet à Domino imperentur.

At Martyres per sanguinis effusionem non semper imitari possumus, possumus tamen per oblationem vitæ Deo gratissimam. Dicamus ergo aliquid de morte, quæ nos manet omnes, cum *Statutum sit omnibus semel mori.* Versamur in ea Philosophiæ parte, quæ docet honestè ac bene vivere, doceamur & bene ac fortiter mori; nam finis coronat opus, mors est vitæ nostræ terminus, à quo pendet nostra felicitas æterna, quam suspiramus. Imprimis tamen meminerimus, nos esse Philosophos Christianos, non Gentiles: isti post Aristotelem dicebant, mortem esse *Terribilissimum omnium terribilissimum*, quia illam intuebantur oculis carnalibus; hanc nos contemblemur oculis Christianis, & illa non erit adeò horrida, sicut fingitur; erit potius solatio plena, si hanc forti & Christiano animo excipiamus.

Nimius mortis horror injurius est virtutibus Christianis, præsertim Fidei, Spei, & Charitati. Fidei quidem, quia hæc nobis ostendit bona terrestribus longè superiora, Divina, infinita, *Quæ nec oculus vidit, nec auris audit, quæ Deus præparavit diligentibus se.* Quale probrum illis affici, & ista nec curare, nec desiderare? petere quotidie à Domino, *Adveniat regnum tuum;* & tristem esse, dum imminet illius possessio, dum appropinquat liberatio nostra? Et cur denique mors tantopere timeatur? si consideretur ab Infideli & Mundano, poterit esse objectum tristitiæ & horroris: si oculis Fidei, triumphus est, & causa lætitiæ. *Hunc transitum miseri Infideles mortem appellant; Fideles autem quid, nisi Pascha?* ait S. Bernardus. Et quid denique in hoc transitu deserimus, nisi mundum perversum, ingratum, reprobatum à Deo, & ab ipsis mundanis sæpius maledictum? Deserimus terram alienam, quam incolunt inquietudines, molestiæ, infirmitates, paupertas, ignorantia, aliæq; miseriæ, peccati comites individua. Et qualis est terminus, quem attingimus? Patria nostra, in qua pax, gaudium, summa & æterna felicitas. Et Fidelis hunc transitum timeat, quin erubescat? rectè Tertull. *Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo.* Sed hic mihi dicis, non timerem mortem, si certus essem de hoc felici

lici transitu à miseriis ad beatitatem æternam: & respondetur tibi, indignum esse Christiano ita sentire, ac virtuti Spei injurium.

Spes Christiana innititur duplici voluntati: Voluntati Dei; qui vult salvare hominem, & voluntati hominis, qui vult fieri salvus. Possumusne dubitare, quin Deus serio velit nostram salutem, cum nobis præcipiat illam sperare sub pœna damnationis? Quoties ille nobis promittit in Sacris Literis felicitatem illam æternam, quam JESUS Christus vitæ suæ pretio nobis comparavit, & cujus pignus accepimus in Sacramento Corporis & Sanguinis ejus? Juxta S. Thomam tria movent ad sperandum: Providentia, Misericordia, & Potestas Dei. Providentia cognoscit omnia media, Misericordia illa nobis applicat, Potentia nihil invenit impossibile, ut adeo ex parte Dei nobis certo possimus promittere felicitatem æternam. Incertitudo igitur tota se tenet ex parte voluntatis nostræ, fragilis quidem & inconstantis, sed quam roborat Gratia. Fidelis esto Gratiae, & sat *Potens eris in infirmitatibus tuis per eum, qui te confortat.* Stabit homo Christianus, *Potens est enim Deus statuere illum.* Circumdamur quidem inimicis & periculis; at *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Spera in Deo, invoca illum; promptior Ille est ad exaudiendum, quam tu ad invocandum. Percurre alacriter viam, in tuo statu tibi præscriptam, confide Deo tuo, agere filiali cum fiducia, Patrem habes & Salvatorem tui amantissimum.

Sed imprimis injuriosum est Charitati nimius ille mortis horror. Quid est hic mundus, nisi regnum peccati? *Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Osee. 4.* Quam imperfectè hic tu Deum amas? quoties illum offendis? quoties offendi vides ab aliis? Mors in momento nos liberat ab his miseriis. Rectè Ambrosius: *Mors, vitiorum sepultura.* Quam felix fuisset Origenes, nî mater illum impedivisset currentem ad martyrium! Quam felix ille, *Qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus!* Beati, qui habitant in domo tua Domine: ibi videbis facie ad faciem, ibi perfectè & constanter amabis. Quidnî ergo, si Deum verè amas, *Cupis cum Paulo dissolvi & esse cum Christo?* Quid doles, quid trepidas, si deserendus est locus tui exilii, ut fruaris Deo tuo infinitè amabili? Ita sanè teste Chrysostomo, primi Christiani ceremoniam illam, qua defunctos efferebant, non appellabant pompam funebrem, sed triumphum felicem, omnibus exoptabilem, quo nempe pergitur ad cælestem Jerusalem, Patriam nostram. Sed fortasse longævam vitam exoptas, ut crescas in virtute? Vanus prætextus, ait Augustinus; per solam dispositionem sinceram libenter moriendi, ut Deum nostrum possideamus, momento temporis acquirimus perfectionem, quam desideramus. Atque ex his intelligimus, nos inordinate egisse & agere, dum mortem tantopere pertimescimus, dum felicitatem nostram in fruitione summi Boni, cui conservanda essent omnia nostra desideria, quasi refugimus. Ut hæc culpa diluatur, & mors nostra fiat pretiosa in conspectu Domini, perpendamus veritates sequentes solatio plenas.

Homo Christianus non potest ex suo offerre Deo sacrificium magis gratum magisque meritorium, quam offerendo suam vitam, & acceptando mortem cum gaudio, vel saltem cum plena resignatione, & submissione perfectæ; quod enim perfectissimum est in sacrificio, est destructio totalis victimæ: in hanc destructionem consentimus, dum mortem libenter acceptamus. Ut autem in lege veteri triplex erat sacrificium, holocaustum nempe, sacrificium pro peccatis, & hostia pacifica: ita nunc Christianus tribus ex motivis vitam suam

suam Deo ex toto corde offerre debet, cum Deo placuerit ipsum ad se vocare.

Holocaustum, primum est sacrificii genus, idque perfectissimum. Olim oblata Deo victima in professionem dominii Dei absoluti in creaturas, nostræque subjectionis erga Majestatem hanc supremam, igne penitus consumebatur. Sed victimæ omnes Synagogæ non veniunt in comparisonem cum vita hominis Christiani: etsi enim corpus nostrum fuerit ex limo compactum, est tamen opus Creatoris inter terrestria perfectissimum, in Sacramento Baptismatis sanctificatum, est habitaculum animæ immortalis destinata ad regnum æternum, templum JESU Christi, qui toties sub speciebus Eucharisticis illud inhabitat, & à quo pignus accipit immortalitatis, vi cuius corpus illud aliquando resurget sole splendidius. Cum ergo tempus advenerit, aut etiam prius, dic Deo tuo ex tota sinceritate cordis tui: Accepto, Domine, amore tui privationem vitæ meæ, rei, quam habeo, carissimæ: ita est, hanc tibi offero cum perfecta submissione ad tuam voluntatem, & dominium supremum, quod adoro. Accipe, O! Ens supremum, hanc oblationem meæ mortis, in unione mortis JESU Christi Filii tui, Salvatoris mei, per quam fiat hostia te magis digna, tibi que magis grata & accepta. Tu ipse, o Domine, dixisti, non esse majorem charitatem, quam si quis ponat vitam pro amico: En! quantum in me est, tibi dono meam, beatissimum me reputans, si hanc in testimonium amoris erga Te mei suscipias &c. Ejusmodi affectus submissi simul & adeo generosi faciunt ex homine Christiano holocaustum dignum, quod offeratur supremæ Majestati.

Alterum sacrificii genus erat satisfactorium, sacrificium pro peccato: & hoc quoque offerre possumus Divinæ Justitiæ per oblationem nostræ vitæ. Nam peccata, quæ committimus, radicem suam habent in triplici amore inordinato, nempe in amore propriæ excellentiæ, in amore voluptatum, & in amore divitiarum. Mors malorum horum radicem demetit, & refecando redigit in ordinem, quod erat inordinatum. 1. Mors refecat & punit amorem divitiarum, dum illas aufert homini, qui egreditur è mundo nudus, uti nudus intraverat. 2. punit amorem voluptatum destruendo sensuum omnium organa, ut adeo homini voluptuario nihil supersit, nisi pulvis & vermes. 3. Mors vitærix hominem subjicit omnium pedibus calcandum, ut puniat ejus superbiam. Ut igitur offeras sacrificium hoc satisfactorium, prosterne te coram Deo Domino tuo, & peccatorum tuorum multitudine contritus Eidem confitere, te toties meritum esse, ut tollereris de numero viventium, quoties ausus es illum offendere. Peccatum omne hominem reddit morte dignum, atque ex hoc capite, o mi Deus! merebar mille vitas perdere, si mille habuissem! mortem igitur, quam mihi mittis, non tantum non invitus excipio, sed etiam cum gaudio, submissione, & summa erga tuam Divinam justitiam reverentia: consentio, ut isti oculi, qui toties effrenatè sunt evagati, claudantur lumini usque ad finem sæculi: ut hæc lingua quæ protulit tot verba vana, indecentia; & proximo meo nociva, fiat esca vermium: ut hæc manus, & hi pedes, nequitia meæ instrumenta mancant in sepulchro immobiles: ut hoc ipsum cor meum, tot insanarum cogitationum, & perversorum desideriorum origo, non amplius sit aliud, quam pulvis & cinis usque ad tuum adventum. Justum est, Domine, ut retrahas dona tua, quibus toties abusus sum, & ut vilis creatura, quæ voluit ad beneplacitum suum vivere, lubens mortem saltem acceptet, ut denique obediat voluntati Creatoris sui.

Uti-

Ultimum sacrificii genus dicebatur hostia pacifica, & offerebatur ex debito beneficii, vel accepti vel accipiendi. Mors quoque nobis præbet occasionem opportunam talis sacrificii: quanta enim est ingratitudo, si homo Christianus egrederetur ex hoc mundo, quin prius tot acceptorum beneficiorum Auctori gratum animum testaretur! Revoca igitur in memoriam numerum, naturam, & pretium Gratiarum, quas accepisti à Domino tuo, & tam prodigiosa liberalitate quasi in admirationem raptus, quære ex te ipso, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & dic generosè cum Propheta, *Calicem salutaris accipiam*, bibam, & exhauriam illum à Domino mihi paratum & oblatum. Utinam mille vitas haberem, quas tibi offerrem pro innumeris beneficiis, quibus me cumulasti, ô Deus infinitè bonus! has tibi consecrarem omnes, qui pro me tuam immolasti: unam habeo vitam, & quidem à Te, ô Deus, tua est infinitis ex titulis; sed etsi mea esset, hanc tibi offerrem, & offero lubens, ut aliquatenus satisfaciam debitis meis erga Te infinitis: ascendat ad Te hoc sacrificium in odorem suavitatis, & me tibi immolatum suscipe, Deus meus, Vita mea, Beatitudo mea!

CAPUT VII.

De Passionibus.

OMnis motus appetitus sensitivi à S. Thoma & aliis passio dicitur, præcipuè ille, qui in defectum sonat; hinc passio definitur: motus seu affectus appetitus sensitivi ex apprehensione seu imaginatione boni vel mali, cum peculiari atque insolita commotione ac mutatione in corpore, præsertim sanguinis in corde & pectore, atque etiam plerumque in vultu, qui propterea dici solet index animæ. Duplex enim ex alibi dictis distinguitur in homine appetitus, sensitivus nempe, qui consistit in quibusdam actibus necessariis complacentiæ aut displicentiæ cum illis insolitis commotionibus corporis: & appetitus rationalis, qui sumitur pro actibus voluntatis liberis.

Etsi autem omnes passiones motionem aliquam in corpore pariant, aliæ tamen jucundam, aliæ injucundam causant; quia aliæ motionem minùs, aliæ magis à natura alienam afferunt: magis quidem, ut dolor & tristitia, quæ contractionem in corde pariunt: minùs verò, ut delectatio & læritia, quæ dilatationem cordis efficiunt; est enim magis consentaneum naturæ dilatarì, quàm contrahi, præsertim in corde: per dilatationem enim, quæ lætam animæ cogitationem sequitur, spiritus animales toto corpore erumpunt, & ita commoventur, ut homo sentiat, se quodammodo reviviscere, & dulcem quandam respirationis, aut vitæ libertatem nancisci: per contractionem verò, dum tristatur anima, spiritus minori in copia emittuntur, cor palpitât lentius, sanguis minùs calet in arteriis, frigescunt extremæ corporis partes, pallet vultus &c.

Passiones dividuntur in concupiscibiles, & irascibiles: priores dicuntur ferri in objectum præcisè ut bonum vel malum sensibile; posteriores verò in objectum, ut bonum vel malum sensibile, sed arduum & difficile. Concupiscibiles & irascibiles nomen suum desumunt à duabus præcipuis passionibus, concupiscentia scilicet, & ira. Numerantur à S. Thoma passiones undecim:

K k k

sex